

*Brettiorum Tyrrenorum a Brettio, filio Herculis, ex Baletia puella, Baleti filia, conditum. Hæc de priori nomine.*

De posteriori autem idem Acciarinus subdit : *Deinde cum quingenti juvenes Lucani, Duce Herennio Pulvillo, a parentibus defecissent, ac novas sedes querere instituisent, ibique, hospitio recepti, confederunt; Brettiam autem urbem a Consentia puella Consentiam transnominant. Et Alciatus, nuper laudatus; inde a Consentia Nympha, Consentia dicta est. Conveniunt quidem in nomine, sed in nominis causa errant. Clarius rem explicavit Dominicus Surrenti, in M. S. de rebus Calabriae, quod a Flore laudatur. Hic enim Justini lib. 23. verba perpendens, Autores quoque suos, Lucanos, bello vicerunt; hæc addit: de Consentia intelligens, uno concursu, & Pastorum consensu, extructa; nam prius castellum erat. Numismata plurima apud Flore, alioque, inveniuntur, in quibus Brettiae nomen legitur. Et quum numismata non pauca statuas referant, a Consentinis hominibus Romanis Consulibus erectas, post Hannibalis exitum ab Italia; eadem profecto nobis argumento sunt, quod Romana Respublica non pœnis, sed beneficiis, Brutios prosequeretur, si iidem gratitudinis monumenta Romanis Consulibus erigebant. Falsum ergo, quod de Consentiae nomine, non quidem Scriptores, sed fabulatores potius, pro mentis arbitrio loquentes, literis, aut vocibus, consignare non erubuerunt.*